

causis Ecclesiasticis. Patrimonia Ecclesie multum quarto saeculo auxere & regia Constantini Imperatoris liberalitas, & servens Fidelium bona sua, vel eorum partem Ecclesiis offerentium charitas. Horum bonorum administratio penes erat Episcopum, qui ad Ministrorum Ecclesie, virginum, viduarum, pauperumque sustentationem ea distribuebat. Tunc enim bonorum Ecclesiasticorum necdum facta erat divisio, nihilque adhuc Clerici sibi proprium titulo Beneficii possidebant. Qui in Clericum, vel Presbyterum erat ordinatus, addictus perpetuo manebat peculiari alicui Ecclesie, in qua Ministerio suo defungi tenebatur. Presbyteris, & Episcopis vetitum erat uxores ducere, & hac ipsis coelibatus imposita lex precipue in Occidente viguit.

Monachorum Institutum quarto Ecclesie saeculo maxime inclauit. Quamvis enim in praecedentibus saeculis multi extiterint, qui ob austerum, quod profitebantur, vitae genus, dicti sunt *Ascete*: Quamvis etiam plures ex utroque sexu perpetuam virginitatem servaverint, & ob rerum caducarum contemptum, vel ob metum persecutionis in solitudinem secesserint, nullibi tamen legitur, fuisse ante quartum Ecclesie saeculum extructa Coenobia, in quibus Monachi sub Abbatibus regimine communem vitam degerent. Quare, primus vitae Monasticae Parens optimo jure apud omnes audit *S. Antonius*, qui innumeros homines exemplo suo ad eam vitam rationem deduxit. Sanctus itidem *Pachomius*, & *S. Hilarion* in extremis Palaestinae, & Thebaidis partibus Coenobia excitaverunt plurima, & numerosis Religiosis agminibus, atque Sodalitibus solitudinem impleverunt. Ex Aegypto, & Thebaide Romam demigrare cepit Institutum Monasticum anno videlicet cccxli. cum *S. Athanasius* eo profectus *Ammonium*, & *Isidorum*, eximia virtutis Monachos sibi viam comites adscivit. Tunc cepit Monasticus Ordo in Occidente frequentari, & longe lateque propagari. Divinae Psalmodiae singulis diebus pluries vacabant Monachi, & divinum Officium diei, nocturneque persolvebant, teste *Sozomeno* lib. 3. *Hist. Eccles.* cap. 14. manibusque operabantur, quae disciplina ad Monachos quinti saeculi traducta est, ut constat ex *S. Augustino*, qui librum *de Opere Monachorum* scripsit. De Monachis sanctitate celeberrimis, qui quarto saeculo floruerunt, lege *Socratem* lib. 4. *Hist. Eccles.* cap. 28. & sequentibus, *Theodoretum* in *Historia Religiosa*, & *Rufinum* in *Vitis Patrum*, tuncque intelliges, quam austeram, quamve puram fuerit antiquorum Monachorum vivendi genus, quod etiamnum cum singulari Fidelium Beneficiatione amulantur Religiosissimi Monachi Benedictini Congregationis *S. Mauri*, *Carthusienses*, & Monachi Cistercienses strictissimae disciplinae Regularis observantiae, vulgo dicti *de la Trappe*, qui vitam Angelicam in terris degentes, suavissimum Christianarum virtutum odorem latissime diffundunt, nobisque invictum praebent argumentum ad probandam adversus Heterodoxos sanctitatem, quae verae Ecclesiae tessera est ac

sensibilis nota, soli competere Ecclesiae Romanae.

Denique, quarto Ecclesiae saeculo multa fuerunt Monasteria, & examina Virginum, quae uni parebant Matri, seu Praeposita, & in corporis integritate consensuebant. Sancti Antonii soror inter illas sacras Virgines versabatur, & in Praefecturam Coenobii adlecta fuit, teste *S. Athanasio* in vita *S. Antonii*: Sanctum quoque Pachomium sorori suae Monasterium non longe a suo disitum construxisse legimus in ejus vita. Plura de his Virginibus, & de earum Monasteriis habet *S. Hieronymus* in Epistola ad *Eustochium* de Epitaphio Paulae matris, in Epistola ad *Sabinianum* de Aegypto, & Syriae Parthenonibus, & in Epistola ad *Letam* de Institutione filiae. Praeter illas Virgines, quae ab omni hominum contubernio semotae in Monasteriis rebus divinis vacabant, aliae erant Virgines in Urbibus, & Pagis, quae a tenera aetate virginitatem suam voto obstrictam Deo offerebant. Virgines velo operiebantur, & grandis injuria loco habebatur, siquis Virginum capita nudaret.

D. Monasticum Institutum ante quartum saeculum cepisse hactenus credideram. Sunt enim plures Monachi, & Canonici Regulares, qui suam Institutionem *Apostolicam* appellant, suumque vivendi genus ab Apostolis initium sumere, & in prioribus Ecclesiae saeculis viguisse mordicus perpendunt; immo sunt nonnulli, qui altius accersunt Monachorum originem, eosque jam *Eliae*, & *Elisei* temporibus floruisse sanctissime jurant.

M. Monachos, & Canonicos Regulares in communitate viventes Apostolorum imitatores esse, adeoque illorum institutionem hoc in sensu *Apostolicam* nuncupari posse, haud aegro animo concesserim. Ast, Institutum Monachorum, & Canonico Regularium, qui communi domo, communi mensa, communibus bonis utuntur, quae peculiare Constitutiones, & Regulae vel *S. Benedicti*, vel *S. Francisci*, vel *S. Augustini* profitentur ab Apostolis sumptisse initium, difficile adducor, ut credam. Similiter Monachos, qui Carmelum incolunt, *Eliae*, & *Elisei* imitatores esse, & ob hanc vitae similitudinem discipulos *Eliae*, & *Elisei* latiori sensu appellitari posse, non inficias iverim; sed *Eliam*, & *Elisaeum* hujusmodi Instituti Auctores, & Parentes fuisse, hactenus in animum meum inducere non potui, maxime, postquam legi Responsiones *Papebrochii* doctissimi Jesuitae, & Controversias Romae Typis excusas Eminentissimi Cardinalis *Raymundi Capisucchi*, qui Controversia decima sexta §. 2. solide probat ex *S. Thoma*, & ex communi Theologorum sententia, statum Religiosum, seu Monachatum per tria vota, obedientiae videlicet, paupertatis, & castitatis non fuisse in lege veteri, sed in lege dumtaxat Evangelica sumptisse exordium. Et §. 5. ostendit idem Cardinalis, *Eliam*, *Elisaeum*, filiosque Prophetarum huiusmodi non fuisse obstrictos. Monasticae itaque vitae institutio ad quartum dumtaxat saeculum referenda est, Auctoresque habuit *Pachomium*, & *Antonium*,

tonium, ut videre est in vita *S. Pachonii* die XIV. Maji in Actis Sanctorum *Bollandianis* illustrata. Ordo vero Canonico Regularium *S. Augustini* Regulam profitentium cepit tantummodo undecimo Ecclesiae saeculo. Nulla quippe ante hoc saeculum Institutio Clericorum Regularium in Scriptoribus Ecclesiasticis apparent vestigia, sicut latius examinabimus in nostris Colloquiis XI. saeculi.

D. Alia si quae sint, percense disciplinae quarti Ecclesiae saeculi capita, quorum narrationem non minus jucundam quam utilem esse experior.

M. Alia disciplinae quarti Ecclesiae saeculi capita paucis observationibus complectar. Mos erat in Oriente, non secus ac in pluribus Ecclesiis Occidentis, jejunandi diebus Mercurii, & Veneris; exceptis tamen Romae, & aliquot Italiae Ecclesiis, quae loco diei Mercurii observabant die Sabbati jejuniu, quod cum abstinencia a carne, & a vino tum temporis servabatur, & per totum diem productum ad vespem tantum solvebatur. Mos quoque a primordiis Ecclesiae receptus erat pervigilia celebrandi nocte scilicet, quae praecedebat magnam solemnitatem, vel diem Dominicam, in qua Synaxis habenda erat, & populus in Ecclesias confluebat, pernoctabatque in Orationibus, & Psalmis vacans. Coemeteria loca sacra erant, in quibus Catholicorum tantum corpora humari licitum erat. Signum Crucis passim usaveniebatur, & hoc salutifero signo sancti viri ad res mirabiles patrandas, Daemonesque fugandos utebantur. Quotquot Tyrannorum Christianae Religionis furorem declinantes profugi moriebantur, Martyrum loco habebantur. Eodem saeculo quarto in usu esse ceperunt peregrinationes ad lustranda loca Sacra. Sed quia nonnulli Christiani ejusmodi peregrinationes ex superstitione quadam, potius quam ex sobria, & solida pietate suscipiebant, Sanctus *Gregorius Nyssenus* in Oratione seu in Epistola *de iis, qui adeunt Hierosolyman*, declarat, haec peregrinationes multis noxias esse, & praesertim mulieribus Christianis, quarum honestas & castitas tam prolixis itineribus periclitari possunt. Abusus itaque, qui in illas peregrinationes irreperant, optimo jure reprehendit Sanctus ille Doctor, sacrarum tamen peregrinationum Religionem in hac Epistola nec carpit, nec improbat, quidquid contra obstrepant Heterodoxi verae pietatis ofores. Sunt & alia politiae, & disciplinae Ecclesiasticae capita, quae quarto saeculo observata fuerunt, & Conciliorum Canonibus sancita, quae fuso & erudito calamo *Cl. Thomassinus* prosequitur in libro jam laudato, quibus tamen ipse, brevitatis ergo supersedebo, cum haec tibi abunde sufficere possit Generalis Idea disciplinae Ecclesiasticae quarti saeculi, quam levi brachio delineavi.

D. Circa disciplinam quarti Ecclesiae saeculi mihi cumulatissime fecisti satis; nunc paucis exponere, quanam fuerit apud Christianos ejusdem saeculi doctrina Moralis.

M. De doctrina Morali quarti Ecclesiae saeculi plura occurrerent dicenda, quae tamen fufius prosequi cum non sinat Colloquiorum nostrorum

brevitas, multa paucis complectar. In primis, doctrina Moralis apud Christianos quarti Ecclesiae saeculi avitam suam integritatem retinuit, nec ad laxitatem, aut ad nimiam severitatem deslexit. Fuerunt quidem aliqui Haeretici, *Novatiani* nimirum, *Encratitae*, *Eustabiani*, & *Luciferiani*, qui cum essent rigidissimi morum Censores, severiorem Moralem libertati Evangelicae oppositam inducere tentarunt, sed Ecclesia nimis illius rigoris impatiens, peccatoribus spem fecit consequendae vitae, eisque, post emensum luctuosae stadium poenitentiae, reconciliationem, & indulgentiam nunquam denegavit. Solemne erat Episcopis frequentes Catecheses, & Conciones habere ad populum, in quibus eos praecipua moralis Christianae dogmata edocebant, atque ad Christianarum virtutum praxim, ad amorem Dei, ad rerum caducarum contemptum, & ad omnium operum verae pietatis exercitium vehementer adhortabantur. Peccatorum vitia, nulla habita ratione dignitatis Personarum, magnis animis, & totis eloquentiae suae viribus infectabantur, omnesque ad meliorem frugem ardentissimo zelo adducere satagebant. Singulis Christianis cujuslibet aetatis, sexus, & conditionis accommodatissima praescribebant officia bene beateque vivendi, & ut eos ad ineundam perfectiorem vitam provocarent, libros *de Ascetica*, seu Spirituali vita, conscribant. Spectacula omnia, in quibus tragicae Historiae, vel Comicae, oculis subijciuntur, districte Christianis prohibebant, quia hujusmodi Spectacula cupiditates excitant, ac foyent, animos emolliunt, & a Deo, atque bonis operibus avertunt, corda ad voluptates, & ad vitia eo periculosius alliciunt, quo honestiora videntur. Verbo dicam, haec Spectacula Mundi & Diaboli pompae sunt, quibus dum interfuncti Christiani, iisque delectantur, foedus solemne, quod cum Deo in Baptismo pepigerunt, renunciantes Diabolo, & pompis ejus, nullum quodammodo, & irritum reddunt. Haec fuit doctrina Moralis Sanctorum Patrum quarti Ecclesiae saeculi.

Quod spectat ejusdem saeculi Christianorum mores, facile ex Sermonibus, Homiliis, Orationibus Paræneticis Sanctorum Patrum colligi potest, multos fuisse tum temporis degeneres Christianos, quorum flagitiosa vita a nomine, & a sanctitate Religionis, quam profitebantur, longe distabat. Quod sane tibi mirum videri non debet, cum id aetatis Christiani in immensum numerum excrevisset, paucique admodum in amplissimo Imperio Romano reperirentur, qui non essent Religionis Christianae cultores. At, quamvis negari haud possit, complurium Christianorum quarti Ecclesiae saeculi mores fuisse corruptos, certissime tamen constat, multo plures eodem saeculo extitisse Christianos, tum Laicos, Monachos, & Virgines, tum Clericos, & Catholicos Episcopos, quorum si vitam contempleris, nihil sanctius; si doctrinam, nihil purius; si mores, nihil incorruptius; si zelum pro defensione Ecclesiae, & salute Animarum, nihil ardentius esse potest; quorum doctrina, ac inculpatae vitae exemplis muniter etiamnum, defenditur, & robor-



roboratur fides illa adamantina, cui Christus promisit Claves Regni Cælorum, & cui superstruxit Ecclesiam suam nullis ventorum turbinibus, nullis undarum, & Inferorum insultibus cessuram. Depravatos tamen mores Episcoporum Ariarum, & aliquot etiam quarti sæculi Catholicorum Antistitem, qui sibi, & non suis ovibus consulebant, graphice sic describit S. Gregorius Nazianzenus in libro de Episcopis: *Talia sunt, inquit, horum ornamenta ----- abundans item cupidiorum, ac temperaturarum argutis ----- abundans item unguentis, visu, cantilenarum concentibus, qui & cimbalis, & strepitus pedum saltantium requirunt ----- Nitida cute conspicui, corpore juvenes, moribus, & affectibus juniores, vel etiam antiquorum dierum vitis referti, Prefecti scilicet, ac Antistites sunt liberum, quos Spiritus gignit ----- alienis in vitis summet ipsorum paroni, concedentes peccandi licentiam aliis, item ut eam sibi sumant.* Ex quibus S. Gregorii Nazianzeni verbis patet, fuisse quarto Ecclesiæ sæculo præter Arianos Episcopos, aliquos Catholicos Antistites, qui suis commodis inserviebant, pravisque moribus, & mundana conversatione contemptibiles facti, quærebant quæ sua erant, non quæ Jesu Christi.

D. Haud levem animo meo injecisti scrupulum, dum Christianis quarti Ecclesiæ sæculi omnia Spectacula, in quibus Tragicæ, vel Comicæ exhibentur Historiæ, tamquam illicita a Sanctis Patribus prohibita fuisse affirmasti. Ipse quippe multorum securus opinionem, hisce Spectaculis per sepe intersum, nec quemquam hæcenus vidi, vel audivi, qui inductum Comædiarum usum reprobaret: immo, hoc nemo non facit, sic vivitur a Magnatibus, his vestigiis majores mei sunt ingressi, hoc Magistratus, & Principes approbant.

M. Comædias illicitas esse, & Christianæ innocentie periculosas probat constans, & perpetua Sanctorum Patrum, & Conciliorum doctrina, quorum hic testimonia, & decreta referre prolixioris esset operæ, & a meo Instituto alienæ. Sed ne hanc austeriorem putes SS. Patrum, & Conciliorum doctrinam moralem, lege, si placet, Acta Synodi Mediolanensis tertie S. Caroli Borromæi, ubi Sanctus ille Antistes de Officio Concionatoris hæc habet: *Spectacula, ludos, ludicrasque res id genus, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplineque Christiane adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur, demonstrabitque incommoda, publicasque erumnas inde in Populum Christianum dimanare, in quam sententiam valde Populum confirmabit argumentis, quæ gravissimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chrysostomus, & Salvianus asserunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* Viden, quo pacto S. Carolus majorum suorum vestigiis insistens, Spectaculorum originem ab Ethnicorum moribus accerfat, ac subinde a Christianis, qui ab Ethnicorum moribus prorsus abhorere debent, non adiri, nedum frequentari oportere, conceptis

verbis asserat? S. Caroli hac in re zelum ætulatatus est Illustrissimus, juxta ac Doctissimus D. Bossuet Meldensium Episcopus, qui Spectacula Christianis prohibita esse, eximio, quod edidit, Opusculo invictè demonstravit. Quapropter, Carissime Discipule, satius est per arctam, & arduam viam, quæ ducit ad Cælum, secure incedere, quam tritam, & latam viam insequendo æternæ salutis irreparabilem jacturam facere. Pessimus jam olim tum vivendi, tum sentiendi Auctor vulgus est, neque unquam tam bene actum est cum rebus humanis, ut non pessima placuerint plurimis. Cave igitur, ne sic cogites: hoc facit omnes, quid ni ego faciam? Absurdum siquidem est, Christum ad hominum vitam inflectere velle, cum potius hominum mores ad Christum exigi debeant. Nec ideo rectum aliquid puta, quia primores, quia maxima pars hominum id facit, sed id rectum esse dicito, quod quadrat ad Regnum Christi, & hoc ipso tibi aliquid suspectum esse incipiat, quod placet plurimis. Unum itaque vitæ tuæ tutissimum Duce sequere Christum, qui, ut rectè observat S. Cyprianus, non dixit: *Ego sum multitudo, vel, Ego sum consuetudo, sed dixit: Ego sum via, veritas, & vita (a).*

(a) Ego vero, quod pace viri summi dictum accipi volo, non omnes prorsus comædias seu tragædias indiscriminatim damnare, sed eas saltem exceptas ab hac censura optarem, quæ de sacro argumento erant, & nihil in iis, quod alendæ pietati non juvaret, continebatur. Numquidne religioni duxissent veteres illi Christiani in theatro representare, quod scribere illis interdictum minime fuit? Auctori tragædiæ *Christus patiens* inter opera Nazianzeni vulgatæ, Apollinario Seniori, nunquam vitio datum legimus, quod genus illud poetices coluerit. Licuit ergo illi de sacro argumento tragædiam scribere & evulgare; cur non & licuisset illam in scena representare? An forte Apollinarius senior in exemplum adducendus non fuerit, quod Christianus vitam non Christiano more gesserit, ut a Theodoto Laodicensi anathemate puniri meruerit? Fateor sed & respicit, nec scimus coactum unquam fuisse, ut scriptum illud suum revocaret. Quin & in pretio habitam poema illud apud veteres inde deduco, quod ad nostram usque ætatem superstes unicum hoc ex scriptis ab eo carminibus servaretur. Dedit etiam alias ejus indolis lucubrationes sacras, de quibus hæc habet Sozomenus l. vi. cap. 25. *Scriptis etiam comædias instar fabularum Menandri; Euripidis quoque tragædias & Pyndari lyram imitatus est.* Denique, ut compendio dicam, sumptis e sacra Scriptura argumentis liberalium disciplinarum brevi tempore lucubrationes composuit & numero & præstantia æquales iis, qui apud Græcos æquales extiterunt. Dicta tamen hæc a me sint de sacris, vel honestis argumentis, quæ pro dignitate tractata sunt, nihilque in iis admiscetur quod mo-

ribus & religioni officiat, cujusmodi plane sunt tragædiæ, sive comædiæ plures a recentioribus scriptæ, quæ per vulgi manus circumferuntur. Neque dixeris alia plane mente, quam ut in theatris representarentur, hæc ab Apollinario scriptis mandata fuisse. Fateor, sed hæc ad modum theatri scenæ elucubrata a suo auctore sunt; cur vero sicut legi a fidelibus sine noxa poterant, ita & in theatro recitari non potuissent? Profecto sicut ab osoribus comæ-

diarum damnantur representationes theatrales, ita & earum Scriptores male apud illos habentur. Insuper si veterum mores spectentur, lucubrationes istæ multo ad Spectacula accedebant propius; legebantur enim ab auctore suo palam in theatro in frequentia audientis populi, uti de Arati poemate sacro factum constat. D. Præterea igitur meum de Spectaculis, seu de Comædiis sensum lubentissime depono, iisque æternum valere jussis, ludum dumtaxat literarium deinceps frequentabo.





# MENS AUTHORIS

Circa quædam Capita ad Historiam, aut Critices Disciplinam spectantia, quæ in hoc primo HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TOMO, jam publici juris facta, aliqua explicatione digna censentur.

**P**RIMO, pag. 17. & sequentibus, ad probandum, Epistolas Decretales, quæ sub Veterum Romanorum Pontificum, a *Clemente I.* usque ad *Siricium* Papam, nominibus circumferuntur, non esse genuinas; eadem adduxi momenta, quibus id evincunt doctissimi Cardinales de Sede Apostolica optime meriti, *Baronius*, *Bellarminus*, *Perronius*, *Bona*, *Sfondratus*, quibus itidem suffragantur Theologi apprimè Catholici, *Antonius Augustinus*, Archiepiscopus Tarraconensis, *Petavius*, *Sirmondus*, *Labæus*, *Christianus Lupus*, *Schelstratus*, aliique plurimi, quorum hic Catalogum texere nimis longum esset. Horum, inquam, doctissimorum Cardinalium, & Theologorum iudicio subscripsi; sed ultro damnavi, & etiamnum damno errorem *Blondelli* Hæretici, qui non solum Veterum Romanorum Pontificum Epistolas Decretales, tanquam supposititias, expulit, sed etiam (& in hoc stat ejus error jure optimo proscriptus) falso pertendit, eas Veterum Pontificum Romanorum Decretales Epistolas, multorum in Fide & Disciplina errorum fuligine esse conspersas, a quo errore me vehementer abhorrerè palam professus sum pagina 19. his verbis: *Cum hæ Epistolæ Decretales, quæ sub Veterum Romanorum Pontificum nominibus prostant, bene multa veritati & pietati apprimè consentanea complectantur, non debent Hæreticorum Spiritu, quo afflatus fuit Blondellus, conviciis proscindi ac lacerari.*

Secundo, pag. 19. 64. 134. & alibi, affirmo, Monachorum Institutum in quarto dumtaxat Ecclesiæ Sæculo, imperante *Constantino Magno*, suam originem habuisse. Sed his in locis loquor tantummodo de Instituto Monachorum, qui communi domo, communi mensa, communibus bonis utebantur, vel qui eidem Superiori Præfecto parentes, aliquam simul Regulam profitebantur. Cæterum, nunquam inficias ivi, fuisse in tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis Anachoretas, Monachos, seu Eremi cultores, qui Vitam Asceticam in solitudine religiose ducebant.

Tertio, pag. 55. mentionem facio trium tantum Conciliorum, quæ ab Apostolis fuerunt celebrata, in quorum primo facta est electio Sancti *Matthæ*, in altero septem electi sunt Diaconi, in tertio declarati sunt Fideles immunes ab observatione Cæremoniarum Legalium. Horum trium Conciliorum, quæ ab Apostolis habita sunt, dumtaxat memini, quia de his expressa in sacris litteris habetur mentio. Nunquam tamen meum in animum induxi improbare sententiam illorum Theologorum, qui vel ex Scriptura Sacra, vel ex traditione Sanctorum Patrum colligunt, alia, præter hæc tria mox a me laudata, fuisse ab Apostolis celebrata Concilia.

Quarto, pag. 63. & seq. obiter dico, de Antiquitate, & institutione Subdiaconatus,

conatus, & aliorum quatuor inferiorum Ordinum, litem adhuc apud Theologos sub iudice esse. Sic stylum & scribendi modum eo loci duxi esse temperandum. Quamvis enim non me lateret, communiorem esse doctrinam, quam tradunt *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Scorus*, *Richardus Paludanus*, & alii, videlicet septem Ordines esse Sacramenta a Christo Domino instituta; nolui tamen hæreseos notam inurere *Guillelmo Estio*, doctissimo Theologo, qui in 4. Sent. Distin. 24. pag. 202. 203. Editionis Parisiensis anni 1696. conceptis verbis docet, circa institutionem & antiquitatem Subdiaconatus nihil hætenus ab Ecclesia statutum ac definitum esse. Nolui etiam hæreseos insimulare clarissimos Theologos, *Dominicum Soto* in 4. Sent. Distinct. 24. *Navarrum* in Manuali cap. 22. *Franciscum a Victoria* Relect. 2. Propos. 3. & alios, qui in eadem conspirantes sententiam, docent quatuor minores Ordines non fuisse a Christo Domino, sed ab Ecclesia institutos. Sed, ut ut sit de his Theologorum opinionibus, hic ex animo protestor, circa institutionem & antiquitatem subdiaconatus, & aliorum minorum Ordinum, nihil aliud asseri, doceri, teneri ac credi debere, præter id, quod Sancta & Catholica Romana Ecclesia docendum, tenendum, atque credendum proponit.

Quinto, Cum aliquibus non probentur conjecturæ, quas in re historica adduco, sive dum pag. 89. & seqq. assero, certa a Viris doctis & Catholicis exhiberi suppositionis Concilii Sinuessani, & lapsus *Marcellini* Papæ indicia: Sive dum pag. 50. & seq. dico incertum esse Authorem Operum, quæ tribuuntur *S. Dionysio Areopagita*: Sive, dum pag. 107. & seq. Symbolum, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse &c.* inter dubia *S. Athanasii* Opera ablegandum esse censeo: Sive, dum pag. 116. & seq. Cantici, *Te Deum laudamus &c.* Authorem incertum esse existimo: Sive denique, dum pag. 120. & 121. observo, Acta Sancti *Silvestri* Papæ a peritis Viris tanquam supposititia, vel interpolata, rejici; cum, inquam, aliquibus non probentur conjecturæ, quas his in locis in medium historice adduxi, candide iterum profiteor, circa Concilium Sinuessanum, & lapsum *Marcellini* Papæ: Circa Opera, quæ *Dionysio Areopagita* adscribuntur: Circa Authorem Symboli, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse &c.* Circa Authorem Cantici, *Te Deum laudamus &c.* ac demum circa Acta *S. Silvestri* Papæ, nihil aliud docendum, tenendum ac credendum esse, quam quod tenet, docet, ac credendum proponit Sancta & Catholica Romana Ecclesia, meque historice tantum locutum esse & non alias.

Sexto, pag. 60. & seq. dico, humanum esse errare, & exceptis solis Scripturis sacris, nullum inveniri, qui sit ab omni nævo immunis. Id autem intelligendum non esse censeo de nævis, seu erroribus, qui ad fidem attinere possunt, sed qui tantum ad Historiam, ad Critices disciplinam, ad Chronologiam, ad Geographiam, ad quorundam nominum Hebraicorum, Græcorumque Etymologias spectare possunt, a quibus nævis nullum, exceptis Scripturis sacris, immunem esse, in confesso est apud omnes Catholicos.

Postremo, pag. 131. animadverto, *Scriptores Ecclesiasticos quarti Sæculi abstulisse a vanis istis atque furilibus questionibus, quas circa Mystera Fidei nostræ de possibili, ut ajunt, & de quomodo, postea in Theologiam intempestive intulerunt subtilium quorundam hominum ingenia.* Quibus verbis perstringere dumtaxat volui quosdam abusus, & frivolas ac plane inutiles quæstiones, quas, ut optimo jure conqueritur doctissimus noster *Melchior Canus*, in Theologiam subtilio-



subtiliores quidam homines invexerunt, a quibus certe longe lateque discrepant perutiles illæ quæstiones, quas S. Thomas, Doctor Angelicus, in Summa sua Tripartita, & in libris contra Gentes, alique antiquiores Theologi Scholastici, de possibilitate Mysteriorum Fidei, & de modo, quo peracta sunt, gravissime, ac perdocte ventilarunt. Tantum vero abest, ut Theologos Scholasticos flocci faciam, aut eorum autoritatem elevare velim, ut potius illorum, sicut & Theologiæ Scholasticæ, quæ tamen, ut par est, cum Theologia Positiva, seu Dogmatica, amico fœdere sociari debet, Apologiam, ac vindicias data opera adornaverim secunda Parte Tomi IV. Historiæ meæ Ecclesiasticæ, ubi etiam diluo omnes calumnias, quibus Theologos Scholasticos incesere, & Theologiæ Scholasticæ studium mordaci & virulento calamo repudiare ac carpere Hæreticis solemne est. Hæc brevis, quam edidi, Theologiæ Scholasticæ adversus Hæreticos Apologia mentem meam cuilibet viro docto, & sincero abunde patefaciet, indeque, ut spero, omnes æqui bonique consultant istud qualecumque Opus, quod publica luce donavi, maxime cum illud (Deus scit) nulla ambitione abreptus, nec vana aliqua spe inescatus, lucubraverim, sed solo desiderio impulsus facilem Theologiæ Candidatis sternendiam ad Historiæ Ecclesiasticæ studium, quod Clericis, ac Viris Religiosis, qui Ecclesiæ, uti tenentur, inservire volunt, omnino necessarium esse, nemo est, qui in dubium revocare possit.

FINIS TOMI PRIMI.

FR. IGNATII HYACINTHI AMAT  
DE GRAVESON

ORD. FF. PRÆDICATORUM

SACRÆ FACULTATIS PARIENSIS DOCTORIS,  
ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,

OPERA OMNIA

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS  
REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS,  
PERPETUISQUE ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

AB ILLUSTRIS. ET REVERENDISS. D. D.

JOANNE DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI.

TOMUS QUINCTUS

COMPLECTENS

Historiæ Ecclesiasticæ N. T. volumen secundum, nempe quintum  
& sextum Ecclesiæ Sæculum.



BASSANI, MDCCLXXIV.

SED PROSTANT  
VENETIIS APUD REMONDINI.  
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.